

www.e-rara.ch

Guidonis Ferrarii Opusculorum collectio

Ferrari, Guido

Lugani, 1777

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 4 Ia 3

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12430>

Actio IX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

A R G U M E N T U M .

*Actio Oratoriis tribus Narrationibus constat, quæ ostendunt
quid animi fortitudo possit in Pucro, in Octo-
genario, in Fœmina.*

ACTIO IX.

975

ACADEMIÆ PRÆSES .

Non est cur multis vos morer Academici . Hodie Actiunculam quidem damus , sed vestra , sed orbis terrarum admiratione dignam . Quid enim animi fortitudo possit in Puerō , in Octogenario , in Fœmina terna narratione Oratoria ostendimus . Audite , atque attendite .

DAVID , ET GOLIATH .

Quis hic armorum fremitus ? Qui clamor inconditus ? Val-
lis longe , lateque Philistæorum irrisione , & vocibus resonat ;
contra agmina Judæorum dissoluta formidine obmutescunt , at-
que ipse met Saul Regum fortissimus trepidat . Illinc bustuarius
vultu effero , corpore immani , gladiatoria firmitate atrox in
æquum progreditur , fortissimum quemque in certamen vocat ;
cælo terris , mortalibus immortalibus comminatur : hinc contra-
intonfus , imberbis egreditur Puer . Quo David tendis ? Tu ado-
lescens , inermis , belli insolens cum gigante manum conferes ?
Philistæi corpus , arma , vires metire . At ille non horribili af-
pectu , non prægrandium quassatione armorum , aut fremitu ,
& clamoribus terretur . Acri , intentoque obtutu monstrum tue-
tur , intrepidus it obviam . Ita ne pusio tu ut mecum , irridet
Goliath ? Succede : erunt , funda & bacillo quos exagites , ca-
nes . Te te ego ! Ita vociferans debacchatur barbarus . Non com-
moveri David , nec resistere ; ire contra audentior . Ille infre-
mere ; se spretum non pati ; puero maledicere ; avibus , canibus
pabulum designare ; fanda infanda evomere . Altro contra puer , fi-
dentique ore adproperare : iusto postquam spatio successerat ,
con-

constitit, & me me, adsum, inquit: nec mora data lapide fundam instruit; restitat; tum lævo pede connixus terræ, Deum inclamans, colligans contorquet, rotat, effundit. Evolans, stridentemque it lapis: non incassum; alte infigitur fronti. Dat gemitum, nutat, in arma collabatur, & corrui Goliath; sonitu congemuit, gigantis ruina contremuit vallis. At non subditit David, evolavit. Procumbenti, singultantique acinacem eripit, evaginat, lævoque pede abnorme caput in faciem premens, utraque manu in ictum incumbit, cervicemque abscindit. Utraque castra veluti prodigio percelli, obstupescere, sed Philistæorum exercitus trepidare, & prorsus vecordia dissolvi. At victor David læva abscissum caput, dextra intendens gladium, nullum perturbatis dat spatium. Insestus in hostium munitiones involat, imminet metum, terroremque attonitis ingerens. Provocantem, irruentemque sequitur Judæorum agmen; magnis clamoribus succedunt, castra adoriuntur, supervadunt. Quæ cædes, quæ fuga Barbaricorum? Quæ victorum præda, quæ spolia? Pugna pugnata, fugatis, disiectis, cæsis hostibus David cruentus hostium sanguine postremus se recipit: præferbat etiam tum læva alte prehensum manibus Goliathi caput fæde torvum, & rabo perpluens. Tali habitu succedentem castris, ovanremque voces omnium salutant; medium milites accipiunt; illustrem admirabili facto puerum, & pulcherrima supra omnes gloria clarum deducunt ad Regem, gratulanturque victoriam.

S. POLICARPUS OCTOGENARIO MAJOR IN FLAMMIS.

At quis hic Senex sanctissimus accisis quidem viribus, fractoque corpore, cui tamen dolore nullo animus debilitatur, magis vero se se ad fortitudinem, firmitatemque extendit! Con-

stan-

stantia, religio, fides, tum ipsa propemodum aspectu toto emi-
 nens latens Numinis species virum produnt. Tu Policarpus,
 O clarissimum terris nomen, in quo demum Christianorum om-
 nium spes posita esse, & collocata videtur! Trahebatur ad sup-
 plicium senex octogenario major, merito, virtuteque ornatissi-
 mus; & quamquam gravissima ætas vires contriverat, tamen
 pulcherrimæ mortis studio usque adeo efferebatur, ut cursum
 intenderet, tardioresque post se relinqueret milites: cupidius
 ipse vitam daret, quam auderent illi auferre. Quid intentar-
 um reliquere, si fortissimum animum possent infringere? Si men-
 tem flectere? Acuebantur enses, expediebantur flammæ, fame
 perdomitæ immanes belluæ incitabantur pollicitationibus Procon-
 sul, terrore, minis certabat. Facti novitate perculsa circum-
 stabat multitudo, Policarpi casu pleraque commota hoc magis,
 quod in illo mirabantur plenum mirificæ cujusdam, suavissimæ-
 que senectutis aspectum. Permixti barbaris Christiani accurre-
 rant beatissimi senis, viri optimi, amantissimique patris pericu-
 lo territi. Hos vidisses oculis, hos animis totos sacro corpori
 affixos; modo tacitis gemitibus carissimi capitis fortunam luctu
 ne potius, an invidia prosequentes; modo vero crudelitatem
 execrantes acerbissimi judicis. Interim efferati ira carnifices in-
 stant; urget iudex; ardet desperatione amens, & rabie, indi-
 gnatus se a fene vinci; crudelitateque ex ore eminente furorem
 declarat. At Policarpus nihil minis, nihil supplicio, nihil
 flammæ terretur aspectu. Cælum sereno vultu, tormenta,
 tortores, Proconsulem respicit. Oculorum nutibus Christianos
 confirmat; Deum, superosque voce firma appellat, gratiasque
 agit, quod se huc usque perduxerint, ut pulcherrimo exitu vi-
 tæ cursum conficiat. Infremuit his vocibus collecta barbarorum
 multitudo, plenissimoque amphiteatro insanientium superstitio
 diis devota diras in Policarpum effudit. At ille ad Tortores
 conversus quid torpetis igitur, aut quid expectatis, quando-

quidem ego paratus hic mori perito? Itaque admoventur flammæ, piceque injecta, & virgultorum fascibus magnum excitatur incendium. At enim qui carnificum, qui Proconsulis stupor cum subito flammæ vacuum interius patefacerent spatium, medium exciperent Policarpum, quin læderent; & veluti sepimento incolumem a barbaris defenderent. Vis pignis, ardorque arcebat longe carnifices, nihil offensum, aut violatum tuebatur emeritum senem: flammæ hostibus præripiebant aspectum; cæli patentis, atque aperti Policarpo visum non adimebant, erumpenteque e medio incendio voce clarissima laudes magnæ, ac dignæ exaudiebantur immortali Deo. Exultabant læti prodigio boni, furore agebantur mali. Pepercere flammæ, sed hominum non pepercit immanitas, submissusque est scitarius, qui flammâs perrumpens virum ferro conficeret. Policarpus quidem confoditur, pulcherrimæque in speciem columbæ purissimus in cælum spiritus evolavit; sed neque prodigiorum finem expectate. Tanta inexpectato sanguis ex semivivi, exanguisque senis vulnere profluxit, ut attonitis impiis, Christianis admirantibus maximum subito incendium restingeretur. O admirandum Virum, quid enim aliud prædicem? Cujus prope nunciatum est morte sceleratissimas faces Tyrannorum odio, furisque accensas innocentissimorum sanguine quam primum restinctum iri, maximeque optatam denique pacem Christianis fore.

XL. MARTIRUM MORS NOBILITATA

ADMIRABILIS FORTITUDINE FEMINÆ.

Quid amor & crudelitas, fortitudo & imbecillitas possit, militum invictorum constantia, & morte est declaratum. Hi ad quadraginta numero inanibus diis, quos lumine carens, dementique antiquitas colebat, negarant obsequium. Offensus injuria Præses (Agricolao erat nomen) atqui nisi supplicatum per vos fue-

fuerit Diis Romani Imperii, acerba quæque expectate. Vox una omnium fuit pro Rom. Imperio, & Cæsare se se Æterno Summo Deo, Filioque ejus Christo humani generis Reparatori, ac Domino vota facturos, præterea nemini. Eodem momento deturbantur in sædum, & tenebrosam carcerem; vinclis onerantur; lapidibus ora contunduntur: cum eadem interim omnium resonaret vox ligneos, lapideosque Deos nullos esse; Deo, uni Deo Maximo litandum. Nimirum Agricolaus exarsit his cognitis. Erat hyems teterrima, & constriëtis glacie fluminibus gelu acerbissimum infæviebat. Igitur arreptos unâ omnes in acutum, obrigescentisque stagnum conjici, illic fudo, & aperto cælo pernoctare jubet. Illi ubi demissi, ibi perstant; unaque vox omnium erat Deo supplicantium, uti quadraginta lacum ingressi, quadraginta donarentur corona. Hæc singulorum mens, hæc constantia. Interim nova cælo, pulcherrima, at anceps panditur scena. Cælestissimi enim spiritus visi descendere conglobati, libratique medio supra lacum cælo: singulis coronæ, palmæque in manibus. Arenim quadraginta in cruciatibus jacebant, & una minores visebantur palmæ. Satellitibus obdormiscentibus unus hæc spectabat stagni custos, & abesse quadragessimam tacitus stupebat; cum repente unum ex numero sensit (proh superi!) deficiente vi, virtuteque animi signum perfidiæ dare, & proximum tepefactum in balneum transgredi. Sed neque hac labe sociis inlatâ voluit Deus vota reliquorum frustra esse: subito enim injecta cælitus mente excitatus Custos; me me, inquit, adsum, succedo loco. Excubiæ his admonitæ vocibus steteræ attonitæ; ille abjecto amictu in glaciem se immitit, Deum voce magnâ appellat, Christi se asseclam dicit. Illicet in furem assurgunt; rabie in omnes efferantur; fustibus, bacillis instructi irruunt; semianimes educunt; adversa ora obtundunt ictibus, crura confringunt. Hoc durissimi prælii postremum certamen fuit, nam vinclis exsolutæ animæ be-

tissimæ ad cælos evolarunt : Jacebant prostrata solo cadavera , sed ne reliquias quidem superesse placuit crudelitati militum . Nunc mihi animum Academici , quidque fortitudinis amor , & pietas parere possint , attendite . Plaustris Martyrum corpora imponebantur , ut deveherentur ad rogam , omnisque facti memoria aboleretur . Unus modo Melithon relinquebatur , (id omnium juniori nomen fuit) qui post supplicium ægre etiam animam trahebat : Aderat Mater admirabilis animi fœmina ; atque ad filium conversa , tibi ne , inquit , parcent crudelissimi ? Cœlum fili respice ; post momentum cælo potiere , neque martirii confors a reliquis rogo dissociabere . Hæc fata , & amarissime sublatum in humeros , morientemque amplexa magnis passibus accelerare ; semivivum confirmare alloquio ; plaustraque sequi cœpit . Quid potius mirer ? Invidæ ne Fœminæ constantiam , an inhumanitatem fatellitum ? Matris pietatem , an acerbiter militum ? Illius fidem , an horum animi furorem , & atrocitatem , qui neque commoti sunt , neque prodigio attoniti subsisterunt . Adproperaverant ; injecerant jam in rogam cadavera ; fuerat subjectus jam ignis ; jam crepitabant flammæ , cum supervenit Mater ; eo ipso vestigio animam egerat Filius . Illa onere gravata carissimo per medios irrumpit milites , factaque flammis propior , constans animo , vultu intrepida , quem genuerat , in rogam immisit , ut unam haberet sortem cum reliquis , & facto lætissima discessit . Illi in cineres abiire ; at nondum expleta tortorum sævitia . Una collectas reliquias in flumen conjiciunt , atque dispergunt , ne quid reliqui esset . Sed enim contra immortalem Deum frustra nituntur mortales . In unum locum congesti , coagmentatique cineres confluxere , & Christianorum pietate collecti justos honores , ac debitos habuere . Quis hæc cum intelligit , non sentiat impios non ita tantum conjurare in pios posse , ut non majoribus hos gloriæ incrementis Deus augendos , & exornandos statuatur ? Certe Martyrum

tyrum quadraginta virtus, unius effugia, alterius hostia fucci-
danea, & invictæ potissimum Matris commemorabilis, inaudi-
taque fortitudo totius posteritatis admirationem habuit, habebit-
que; & vero admonet, quid spei, quid metus, quid animi deceat
unumquemque præcipere.

ACADEMIA PRESES.

Nil amplius moramur vos Academici: Abire licet.

ACTIO

